

Heidelberg, 13 décembre 1600.

/ Illustrissimo et Reverendiss. D. Roberto Belarmino S. R.E. Presbytero Cardinali, etc. Domino suo Clementissimo Justus Calvinus S.

Tu vero ille es, Roberte Bellarmine, Cardinalis Illustrissime, quem colit, et veneratur anima mea, quem diligit et exoptat cor meum. Tu es, qui animam hanc vindicasti a morte, et plusquam Cimme-  
 5 riis tenebris obrutam, divinae veritatis fulgore, secundum Deum, col-  
 lustrasti. Tibi vota faciam, tuumque immortale nomen perpetuis lau-  
 dibus celebrabo. Ecquid hoc est, inquis? quem insperatum Paeana  
 audio? quis peregrino celestis acclamat? Ego ego sum, Roberte Bel-  
 larmine, dulce solatium meum, amica quies mea. Ego sum magnus debi-  
 tor tuus. Si gratiam inveni in oculis tuis, praebet aures tuas, per-  
 cipere magnamia Dei, audi excellentissimos fructus laborum tuorum.  
 Ecce sedebas quondam, et medicinam parabas aegris, quos vel tarta-  
 reae locustae a Iohanne praesignificatae, falsorum dogmatum aculeis  
 15 laeserant, vel hydrops falsae sapientiae inflarat, vel levis super-  
 biae aura ex area Ecclesiae proiecerat. His medicinam disputationi-  
 bus tuis parabas, atque in vulgus prolatam cunctis propinabas. Sed  
 vide ingratos homines. Alios vis morbi obstupefecerat, alios despe-  
 ratio acquirendae sanitatis abalienaverat, alios furor ad procul-  
 20 candum pharmacum incitaverat. Mihi quid accidit, aegrorum infirmis-  
 simo? Propinatur eadem librorum tuorum medicina. Rideo, ut assuetus  
 eram, et tamen periculi faciendi causa admitto eam, lectioneque im-  
 bibo. Hic, quod aegris quibusdam accidere solet, pharmacum primo  
 commovet animum, ac resultum quaerit. Postmodum aliquandiu retentum  
 25 occulte virtute interius cum morbo conflictu habito, sudorem toto  
 corpore excitat. Quod ubi sensi, tum demum gravissima me lue infec-  
 tum, totaque cura ad frequentandum antidotum opus esse animadvertis.  
 Eoque facto maiores in dies vires colligere, et tandem, benedicente  
 Domino, integrum sanitatem recuperare coepi, ut nunc quidem nihil

- / amplius in votis habeam, quam primo quoque die abiectis pristinis errorum exuviis valetudinarium haereticorum relinquere, et in arce Ecclesiae Dei cum Catholicis sincero corde ac fide ambulare. En operum tuorum saluberrimam in me medicinam, Bellarmine! En quanto  
 5 me malo eripueris; quantoque bono bearis! Laborabam periculose, tu sanasti; moriebar lachrymose, tu vivificasti; sepultus eram calamitose, tu e pulveribus inferni excitasti, inque Regia Dei collocasti. O nunquam commemoranda satis beneficia tua! Pro iis quid ego reponam? Superat ista magnitudo omnes thesauros mundi. Nihil igitur  
 10 repono, mihi quod priscis divisorum donariis inscribi solebat: Aliud quidem non habeo. Sed et Dominus miserationum in hac iam vita constitutus te inter Principes populi sui, atque inter columnas Ecclesiae suae hanc tuam fidelitatem insigni laurea coronavit, et in altera longe maiori et diviniori coronabit, rependens illud Prophetae Danielis: Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Oh magnificum Minervale, Bellarmino meo debitum! Qui ut misericordiae quoque praemium consequatur, exilio meo consolando sustentandoque, liberaliter efficere potest. Quod ut facias,  
 15 Cardinalis amplissime, vir aeterna memoria prosequende, submisso obnixeque oro; dumque facis, ego tibi ac similibus tuis, Baronio in primis, canticum illud ingeminare non cessabo, quod Sanctus Augustinus 13. Confessionum capite nono de vobis quasi vaticinans protulit: Currite ignes sancti, ignes decori, vos enim estis lumen mundi  
 20 nec estis sub modio. Exaltatus est cui adhaesistis, et exaltavit vos, discurrete et innotescite omnibus gentibus. Heidelb. Metrop. Palatinat. Idibus Decembris Anno 1600.  
 J. Baronii Veteracastrensis Epistolarum sacrarum ad Pontificem Max. et amplissimos Cardinales. Mayence, 1605. lib. I, epist. IX, p. 50-53.  
 25 Procès de béatif. Summarium additionale, p. 47 (avec beaucoup de fautes).